



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

VII. Quatenus præscissio obiectiua in diuinis etiam locum habeat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

CAPVT VII.

Quatenus præcisio obiectiua in diuinis etiam locum habeat?

65 **Q**uestionem hanc pluris, quam oportet plures faciunt, cum magna ex parte vocalis sit, suppositis prædicatis contradictoriis, & essentialibus, quæ ferme omnes Deo conuenire existimant. Præmitto ergo primò, præcisionem obiectiuam duplicem esse, aliam adæquatam, qua aliqua formalitas ex parte obiecti cognoscitur, & alia prout talis neutiquam est cognita, aliam vero inadæquatam, merito cuius vna, & alia formalitas, quatenus sunt tales, attinguntur ex parte obiecti, quamuis aliter, & aliter; quia videlicet de vna aliquid affirmatur, quod de altera negatur, vel certe non affirmatur. Prior præcisio obiectiua ignorantiam, & imperfectionem, posterior vero notitiam obiecti, sicuti est, & perfectionem inuoluit. Quod autem præcisio illa inadæquata vera præcisio obiectiua sit, nam de adæquata nemo dubitat, ita suadeo: affirmari, & non affirmari sunt prædicata contradictoria intentionalia: at prædicata contradictoria intentionalia eidem conuenientia cum præcisione obiectiua coniuncta sunt, alioquin ne cognoscendo vnā formalitatem, & nullatenus cognoscendo aliam, prout talem præcisio fieret obiectiua: quod autem de altera formalitate non sit affirmabile, quod de alia affirmatur, præcisioni obiectiue non obest, ut P. Hurt. hic contendit: quoniam alias cognitio animali v.g. & omninò latente rationali, quatenus tali, nulla esset præcisio obiectiua alterius ab altero, cum per eam cognitionem haud sit cognoscibile rationale. Rursus affirmatio alicuius prædicati de vna formalitate, & non de alia obiectum illud in duas formalitates diuidit, & quasi præscindit, non physicè, ergo intentionaliter. Præterea aliquid physicè dupliciter scindi potest, adæquatè nimirum, & inadæquatè, & vtroque modo verè scindi dicitur: ergo & præcisio intentionalis, siue obiectiua duplex erit, adæquata scilicet, & inadæquata, & alterutra suo modo vera, & propria. Præmitto secundò, Deo optimo maximo penes diuersas eius formalitates prædicata contradictoria intrinseca, & essentialia conuenire, ut in Metaph. lib. 2. tract. 4. cap. 1. demonstrandum est. Quibus positis.

66 **A**ssero Primo: intellectus diuinus essentiam à relationibus præscindit ex parte obiecti præcisione inadæquata, non vero adæquata. Probatur quoad secundam partem, quia præcisio obiectiua adæquata manifestam imperfectionem, & ignorantiam importat: haud igitur Deo concedenda. Quoad primam partem probatur, quoniam intellectus diuinus aliquid de essentia sua affirmat, videlicet communicari filio, quod de paternitate non affirmat, sed negat: atqui eo ipso essentiam à paternitate inadæquate præscindit. Adice quod huiusmodi præcisio perfectionem ab omni imperfectione seclusam, ut ex superioribus constat, inuoluit: quidni igitur Deo conueniat?

67 **A**ssero secundò: intellectus creatus essentiam diuinam à relationibus, tam inadæquatè, quam adæquatè ex parte obiecti præscindit. Assertio quoad primam partem iam iam probata est; si quidem intellectus noster aliquid de summa, & increata essentia affirmat, quod de paternitate negat, aut certè non affirmat. Quoad secundam partem, probatur, quo-

niam cognitio nostra non minus præcisua est, quam vnio hypostatica humanitatis Christi Domini: at vnio hæc immediatè terminatur ad filiationem, & non terminatur immediatè ad naturam diuinam prout talem: alioquin, cum ista sit communis tribus personis, foret, ut omnes tres assumerent naturam humanam, nullaque earum non esset homo, ut tradunt Theologi: cognitio igitur nostra poterit similiter immediatè terminari ad filiationem diuinam, & non ad naturam prout talem, ac proinde alteram ab altera ex parte obiecti adæquatè præscindere: maior argumenti (haud enim eius minor verti potest in dubium) ita suadetur: cognitio nostra subtilior, & immaterialior est, quam vnio hypostatica, cum illa sit modus intentionalis, hæc modus physicus, illa omnino spiritualis, hæc materialis, ea saltem ex parte, qua ad materiam Christi terminatur: at quo plus inest alicui rei subtilitatis, & acuminis. & quo minus corpulentia, & crassitie, eo est ad præscindendum, ac veluti diuidendum magis apta, ut multis posset exemplis physicis ostendi.

Rursus, cum quis affirmat hanc propositionem, *essentia est filiatio*, non attingitur paternitas ex parte subiecti, nec ex parte prædicati: nullo igitur modo attingitur, quatenus est talis, ac proinde essentia ab ea adæquatè præscinditur: antecedens suadetur, quia, si paternitas ex parte subiecti attingeretur, propositio esset hæc: paternitas est filiatio, & sic falsa esset: ex parte autem prædicati paternitas attingi nequit, cum prædicatum sit filiatio ab ea realiter distincta.

69 **R**espondebis primò, paternitatem attingi ex parte subiecti, non in recto, sed in obliquo, ita, ut propositio sit æquiualeuter hæc: essentia eadem paternitati est filiatio, quam obrem propositio, cui hæc posterior æquiualeat, haud quaquam erit falsa. Contra tamen sic arguo: ut aliquid in obliquo attingatur, non magis conducit identitas realis, quam connexio realis cum eo, quod attingitur directè, imò magis è conuerso connexio quam identitas, eò nimirum, quod identitas in recto, non in obliquo attingi faciat conceptum eundem cum extremo, quod dicitur in recto, attingi, at cum quis affirmat essentiam esse filiationem, ex parte subiecti non attingit omnia connotata, cum quibus essentia connectitur: & quæ de obliquo respicit, alias infinita attingeret possibilia, quando ad totidem, & non pauciora refertur essentia: ergo nec paternitas in obliquo attingitur, quantumlibet cum essentia realiter identificetur.

70 **R**espondebis secundò, ex parte subiecti paternitatem attingi etiam in recto, non quod de ea filiatio affirmetur, sed quod de illa negetur. Verum contra sic argumentor: quando quis affirmat, essentiam esse infinitam, non negat paternitatem esse infinitam; alias propositio futura esset falsa, ut quæ maxime: cum ergo affirmat quispiam essentiam esse filiationem, non negat eo ipso, paternitatem esse filiationem. Rursus ea propositio, *essentia est filiatio*, est propositio simplex; alias nulla esset simplex: at complexa foret, si simul negaret, & affirmaret.

CAPVT VIII.

Soluuntur argumenta quadam aduersus præcisionem obiectiuam aliarum formatarum ab aliis.

71 **I**ntellectum nostrum haud posse præscindere ex parte obiecti rationem communem à particularibus,